

Schlach lecha fol. 79. col. c. fabulantur: כיון שהלכו לבקשם מה עשת' רחב נטלה אותם להטמינם אמ' לה פנחס אני כהן והכהנים נמשלו למלאכים שני' כי שפתי כהן ישמרו דעת ותורה יבקשו מפיהו כי מלאך *Cum venirent* (Regis ministri) *ad querendum eos, quid fecit Rachab? Accipit eos & abscondidit eos. Dixit ad eam Pinehas* (alter explorator) *ego sum sacerdos, sacerdotes vero similes sunt angelis, quia dictum est: Labia sacerdotis custodiant scientiam, & legem querat quisque ex ore ejus, quia ille est angelus DEI Zebaoth. Angelus vero, si voluerit, videtur, & si non voluerit, non videtur ab aliis.* Ex quo inferunt, Rachabam tantum unum exploratorem abscondidisse, quia Pinehas alter explorator visibilis & invisibilis fuit pro lubitu. Sed quis has ineptias non agnoscat? Melior est Kimchii explicatio ad h. l. ותצפנו' כד אחד לברו. *Et abscondit eum:* h. e. quemvis separatim, ea ex ratione, ut (regii ministri) non cognoscerent locum eorum, si fortasse adscenderent super tectum. Præterea laudanda est Rachab ob religionis, quam amplexa est, confessionem & fervorem. Ea enim, cum antea audisset, quæ DEus Israelitarum miracula patrasset in mari rubro & regione Amoræorum, tantum est commota, ut verum DEum agnoscere inciperet, quod ex Jos. II, 10. colligimus. Deinde quoque ex terrore, quem Israelitæ incolis Jerichuntis incusserant, cognoscebat, quod DEus urbem Israelitis daturus sit. Accedit ejus de vero Israelitarum DEo confessio v. 11. *Nam Dominus DEus vester, est DEus in cælis supra & in terra infra.* Huc spectant, quæ de ejus fide narrantur Hebr. XI, 31. & Jacob. II, 25. Quæ omnia antecedentis impudicitæ labem paucis annis contractam abstergunt, novamque profelytam principis Judæ Salmone dignam foeminam reddunt.

## §. VII.

Objiciunt quidem Judæi, Rachabam non Salmoni, sed Josuæ nupsisse, ita enim Kimchi Comment. ad Cap. VI, 25. ויש בו דרש כי יהוש' לקח רחב לאשה והו החיה כי כיון שראו שיהושע לקח רחב לאש' נרבקו בבית אביה